

In illo témpore:

- ¹ Factum est cum turba urgéret Iesum
et audíret verbum Dei,
et ipse stabat secus stagnum Genésareth
- ² et vidit duas naves stantes secus stagnum;
piscatóres autem descénderant de illis et lavábant rétia.
- ³ Ascéndens autem in unam navem,
quæ erat Simónis,
rogávit eum a terra redúcere pusíllum;
et sedens docébat de navícula turbas.
- ⁴ Ut cessávit autem loqui,
dixit ad Simónem:
«Duc in altum
et laxáte rétia vestra in captúram».
- ⁵ Et respóndens Simon dixit:
«Præcéptor,
per totam noctem laborántes,
nihil cépimus;
in verbo autem tuo laxábo rétia».
- ⁶ Et cum hoc fecíssent,
conclusérunt píscium multitúdinem copiósam;
rumpebántur autem rétia eórum.
- ⁷ Et annuérunt sóciis, qui erant in ália navi,
ut venírent et adiuvárent eos;
et venérunt
et implevérunt ambas navículas,
ita ut mergeréntur.
- ⁸ Quod cum vidéret Simon Petrus,
prócidit ad génuá Iesu dicens:

«Exi a me,
quia homo peccátor sum, Dómine».

- ⁹ Stupor enim circumdéderat eum
et omnes, qui cum illo erant,
in captúra píscium, quos céperant;
¹⁰ simíliter autem et Iacóbum et Ioánnem,
filios Zebedæi,
qui erant sócii Simónis.
Et ait ad Simónem Iesus:
«Noli timére;
ex hoc iam hómines eris cápiens».
- ¹¹ Et subdúctis ad terram návibus,
relíctis ómnibus,
secúti sunt illum.

Verbum Dómini.